



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Index Librorvm Prohibitorvm Et Expvrgandorvm Novissimus

Sotomayor, Antonio

Madriti, 1667

Regvlæ, Mandata, Et Monitiones Generales.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81432](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81432)

REGVLÆ, MANDATA, ET MONITIONES GENERALES.

REGVLA I.



LIBRI omnes quos ante annum M. D. XV. aut summi Pontifices aut Concilia Oecumenica damnarunt, qui in hoc Indice non sunt expressi, eodem modo damnati esse censentur, sicut olim damnati fuerunt: & eadem ratione quâ à Sacra Romanâ Ecclesiâ, ejusque consuetudine, ejusmodi prohibitiones recepta & observata fuerunt.

REGVLA II.

In libris Patrum & Veterum Scriptorum Catholicorum, non mutantur, corriguntur aut expurgantur, nisi quæ vitio impressionum aut corruptelâ Hereticorum depravata sunt. Per Patres autem & Scriptores Catholicos Antiquos intelliguntur & debent intelligi, quorum opera impressa sunt, atque edita ante annum M. D. XV. quando quidem quæ postea publicata aut excusa sunt, non immunia sunt a Correctione, obnoxia scilicet fuerunt malitiâ Hereticorum & falsa suppositioni Authorum quibus attribuantur.

REGVLA III.

Hereticarum libri, tam eorum qui post prædictum annum Hæreses invenerunt vel suscitaverunt, quam qui Hereticorum Capita aut Duces sunt vel fuerunt, quales sunt Martinus Lutherus, Huldricus Zuinglius, Joannes Calvinus, Balazar Pacimontanus, Gaspar Schwenckfeldius, & alij similes, cujuscumque tituli aut argumenti, omnino prohibentur. Verum non prohibentur libri Catholicorum, quibus inseruntur fragmenta vel Tractatus Hereticarum contra quos scribunt. Neque ex dictis Libris aut Tractatibus auferenda sunt nomina dictorum Hereticarum quæ designari permittuntur ad refutandos illorum Errores; quemadmodum & in Libris historicis: quod hic monemus ad vitandos scrupulos.

Aliorum Hereticorum Libri qui de Religione ex professo aut de Capitulis controversis scribunt, omnino prohibentur: qui verò de Religione non tractant, Examinati prius a Theologis doctis & pijs, nostraque Iussu, & approbati, permittuntur; quales sunt multi contenti & permixti in Prima Classe hujus nostri Catalogi.

Libri bonæ & Catholicæ doctrinæ ab Authoribus antequam in Hæresim laberentur, aut postquam ad Ecclesiæ gremium redire conscripsi, & si de Religione agant, ubi examinati & approbati eadem ratione fuerint, si visum fuerit expedire, a nobis permittuntur, ut res ipsa permixtus, suis quemque sub nominibus & locis secundæ Classis.

REGVLA IV.

Versiones Authorum, licet Ecclesiasticorum, quæ hæcenus editæ sunt à damnatis Authoribus, (quales censentur omnes qui in Prima hujus Indicis Classe, vel alij Manifesti Heretici) permittuntur, modo nihil contra sanam & Catholicam doctrinam contineant. Hoc tamen porro monemus, cum Authores prædictarum Versionum librorum a Scriptoribus sacris & Ecclesiasticis profectorum, fuerint manifesti Heretici & damnati, quales designati in Prima Classe; apponi debere Translatore & Interpreti notam Authoris damnati, ut semper Lector diffidentia & suspitione præmunitus incedat. Si vero quid occurrat parum consentaneum Authoritati & fidei primarij Authoris, Interpreti illud potius tribuatur ejusque malitiæ quam primo Authori.

Versiones Bibliorum tam V. quam N. T. ab illis auctoribus Hereticis adornata, in universum prædibentur. Ab hac Regula excipitur Versio Erasmi N. Testamenti, permixta ut & ejus paraphrasæ, quemadmodum monetur Titulo, Desiderius Erasmus.

Permittitur pars illa quæ est V. Testamenti, ex Bibliis quæ vulgò Vatabli vocantur, emendata juxta Expurgationem isto Indice sancitam: pariter volumen ipsum, aut partes eorundem Bibliorum quod sancti Officij Iussu ab Universitatibus examinatum & recusum Salmanticæ anno Domini 1584, & quod nunc denuò Expurgatorio hujus Indicis emendatur; Dummodo ad hanc normam correctum fuerit; & tam in hoc quam in illa Editione, nova versio adhibeatur, non ut Textus Authenticus, sed ut Elucidatio ad majorem & faciliorem Vulgate intellectum, quo pacto antè diximus.

Ex Bibliis Isidori Clarij Brixiani, tollantur Prologus & Prolegomena, & præterea quod notatur in hujus Indicis Expurgatorii Classe secunda in verbo Isidorus Clarius: & hoc pacto permittitur liber, hæc cautione ut nemo habeat pro textu Editionis Vulgatæ.

REGVLA V.

Cum experientia docuerit ex permissione Sacrorum Bibliorum lingua vulgari, plus inde ob hominum temeritatem, ignorantiam aut malitiam, detrimenti quam utilitatis oriri; prohibentur Biblia lingua vulgari extantia, cum omnibus earum partibus impressis aut manuscriptis: pariter summaria & Compendia, quamvis historica, eorundem Bibliorum aut Librorum Sacra Scriptura, idiomatè aut lingua vulgari: non tamen clausula, sententiæ, aut capitula quæ libris Catholicorum hæc explicantium & citantium inseruntur. Addendum est hoc monitum, in hac prohibitionem comprehendendi Librum qui vulgò vocatur Epistolarum & Evangeliorum idiomate vulgari, quamvis habeat aliquando breves expositiones certis in partibus & Evangelis: quandoquidem est ma-

INDICES
Librorum
PROHIBITORUM
E. V.
24.

gnâ ex parte & forè totus è Textu Sacro idiomate vulgari: nempe ob periculum cui populus ignarus & vulgus subest erroris ex pravo intellectu, aliæque incommoda qua experientia animadverta sunt. Vt autem vitentur Scrupuli qui hic subnasci possunt, vique Lector distinguat quod est idiomatis vulgari aut secus, declaratur non esse idioma vulgare. Hebraicum, Græcum, Latinum, Chaldaicum, Syriacum, Ethiopicum, Persicum, & Arabicum; quod intelligitur de Originalibus linguis qua hodie in familiari Sermone non adhibentur vulgo: vt Lector advertat omnes præter istas esse vulgares.

Prohibentur pariter Horæ earumque differentia linguâ vulgari, vt patet in Catalogi tertia Classe verbo Horas.

REGVLÆ VI.

Prohibentur libri scripti linguâ vulgari ex professo tractantes disputationes & Controversias in Religiosis causâ, inter Catholicos & Hæreticos nostri temporis. Qui verò de ratione bene vivendi, contemplandi, confitendi, & de Argumentis ejusmodi idiomate vulgari agunt, si nihil contra sanam bonamque doctrinam contineant, non prohibentur: sicut neque sermones populares vulgari lingua habiti: quibus & hoc adjungendum & monendum insuper; Quandoquidem nonnulli homines docti & conversionem hæreticorum ad sanctam fidem Ecclesiæ Catholice Romane avenes, quique sunt ex aliis nationibus hæresibus maxime infidelis, scripserunt idiomate proprio vulgari tractatus ad Religionem pertinentes; quorum ope utilitatem publicam promovere in vulgus voluerunt, & revera promoverunt non mediocriter, proprio nomine dissimulato ne agnoscerentur Catholici, aut in lucem protrusis ejusmodi tractatibus absque nomine Authoris: Cum constiterit de verâ & sanâ doctrina talium librorum, & ab authoribus Catholicis profectos esse, facultatem tunc iis utendi concessum iri.

Prohibentur similiter Consultationes Alcorani Mahumetis lingua vulgari, nisi peculiaris a nobis impetretur licentia in scriptis.

REGVLÆ VII.

Libri etiam qui res lascivas, sive amatorias, sive aliarum rerum ex professo tractant, narrant, & docent, prohibentur, quia offiunt bonis moribus Ecclesiæ Catholice, licet illis non sint immixta hæreses aut errores in fide: præcipimusque eos severe castigari ab Inquisitoribus qui tales libros habituri sunt. At tamen antiqui hujus generis libri ab Ethnicis compositi permittuntur ob elegantiam & proprietatem sermonis, dummodo nullâ ratione Inventuri prælegantur. Qui contrarium fecerint punientur ad arbitrium nostrum & prædictorum Inquisitorum.

REGVLÆ VIII.

Libri quorum præcipuum argumentum bonum est, quibus tamen obiter quedam inserta sunt qua ad hæresim, impietatem, divinationem, aut superstitionem pertinent, permittuntur a nobis si modo prius expurgati auctoritate nostra fuerint a Theologis piis & doctis: vt multos permittimus Primæ & Secundæ Classis.

Idem judicium sit de Prologis, Præfationibus, Epistolis, Summaris, Argumentis, Annotationibus, Scholiis, Repertoriis, Indicibus, Appendicibus, Censuris, aut aliis quibusvis qua per Authores damnatos Primæ Classis, aut alios Hæreticos, cum errori-

bas fidei contrariis, aut iis, qua vulgò & ordinariè à S.R.E. recepta sunt, bona & Catholica doctrina libris apposita sunt; quos permittimus, vt multiperrmittuntur, prædictâ ratione expurgatos. Verum in posterum ne excendantur, nisi prius Emendati ad Normam & Censuram illius nostri Catalogi.

Monemus etiam & declaramus, vt alibi factum, non esse satis si in novis Editionibus omnia conjunctim apponantur loca notata aut expurgata, sub finem aut principium libri, aut in parte aliqua inferiori, quamvis in principio dicatur liber expurgatus & excusus ad instar censura Catalogi Hispanici. Verum esse necessarium vt quod observatur aut mandatur deleri, in ejusmodi libro propriis in locis deleatur, unumquodque loco suo, ita vt deletum non possit amplius legi, & qui legerit reliquum libri, nullum habeat offendiculi locum & ansam, aut impingendi in aliquem errorem malamque doctrinam qua Lectori Catholico noceat.

Libri, Horæ, scripta collo appendenda, orationes aut Devotionaria superstitiosa, quocumque Idiomate existent, excusa vel manuscripta, qua in seipsis, suis regulis, summaris, rubricis, Titulis, aut alia parte continent spes, promissionesque superstitiosas & vanas, qua ex. gr. ejusmodi sunt; Quod hanc devotionem aut hanc orationem recitaturus vel habiturus, nec repentinâ morte, nec aquâ, nec igni, nec alio genere mortis violenta & infelicitis moriturus sit, aut quod mortis horam sit cogniturus; aut quod eâ horâ ad Dominam nostram sit venturus, aut illis similia; prohibentur. Si verò in reliquis partibus proba sint, & visum fuerit expedire, permittimus examinata prius & a superstitione expurgata.

Prohibentur etiam laminae, sigilla, numismata, anuli, numi calculatarii, cruces, imagines, picturae & alia istius generis quibus tribuuntur effecta pendentia a sola voluntate Dei aut libertate humana, asserendo ea certò & ordine eventura: similiter chartæ, Relationes aut summaria manuscripta qua continent ejusmodi gratias, privilegia, & virtutes concessas prædictis rebus, quamvis tractent de Reliquiis aut Missis notabili numero de cantatis, vel cum certo numero candelarum, aut aliis rebus qua dictis circumstantiis alligata, successus contingentes pollicentur tanquam certò & constanter eventuros: quia totum hoc fundatum est in fallaci superstitione.

REGVLÆ IX.

Omnino prohibentur libri, tractatus, indices, scheda memoriales, recepta, amuleta, scripta aut chartæ Geomantie, Hydromantie, Aeromantie, Pyromantie, Onomantie, Chiromantie, Necromantie, vel in quibus continentur sortilegia, veneficia, auguria, auspicia, incantationes artis magicæ, divinationes, instrumenta sortiariorum, circuli, characteres, sigilla, annuli & figure aut invocationes demoniorum quocumque modo se habeant.

Item omnes libri Astrologiæ Iudiciariæ, quos vocant Nativitatum & constructionis figurarum, interrogationum, & electionum, quibus asseruntur aut docentur regulæ, traditurque ars & scientia ad cognoscenda per sidera eorumque aspectus, futura contingentia, casus & successus fortuitos, aut actiones qua pendent à libera hominis voluntate; licet in illis libris aliisque ejusmodi dicatur nihil affirmari certò: Aut quibus docentur responsa de factis, eventibusque præteritis, liberis & occultis, de furto vel aliis

Regulæ

aliis similibus quamvis pariter dicatur nihil certo affirmari. Prohibetur quoque & mandatur ne quis iudicium de supra dictis instituat. Permittuntur tamen iudicia, & naturales observationes quæ Naturæ, Agriculture, aut Medicæ artis iuvandæ causâ scriptæ sunt & componuntur, & quæ tempestatum notitiam & Mundi generales eventus spectant, qui necesse est aut frequenter à causis oriuntur naturalibus: quales sunt Eclipses, Pluvie, Aeris serenitas, Siccitas, Pestes &c. quæ non pertinent ad prohibitionem divinationem.

Permittuntur etiam iudicia de Nativitatibus, quæ sine asseveratione docent de inclinationibus, qualitatibus & habitibus corporis cuiusque, suspensionem aut conjecturam ducere; modo ne ad futura contingentia, successus fortuitos, aut actiones à libera voluntate pendentes extendantur. Advertendum etiam præter eos casus quorum cognitio & punitio insignenda immorigeris de iure ad sanctum Officium spectat, ex peculiari constitutione Sixti V. P. R. b. m. talis iudicij instituendi partes ad sanctum Officium pertinere, & adversus delinquentes ipsum severissime acturum.

REGVLÆ X.

Prohibentur omnes hi Libri aut Tractatus qui ab anno 1584. ad hanc usque diem, non expressâ auctoritate, typographi, loci, & temporis quo excuduntur mentione, excusati sunt, & evulgati, aut deinceps excudentur & evulgabuntur. Si quid autem horum desit, censentur prohibiti tanquam de prava & perniciosa doctrinâ suspecti. Et quia constat multos viros doctos & sanctos, ut Reipublicæ Christianæ laboribus suis prodesse, libros utilissimos edidisse proprio nomine occultatos, ad vitandam vanitatem, aliæque rationes Christianas declaratur hic hæc regulâ solum prohiberi libros continentes pravam doctrinam, aut dubiam in fide, aut bonis moribus damnosam: reservatâ nobis declaratione circa illud in omnibus libris excusis usque ad annum 1640. In quibus etiam dictæ conditiones decernant. Confirmamus dictam regulam in posterum adhibita illâ reservatione & declaratione.

REGVLÆ XI.

Prohibentur etiam omnes aut qualescumque Effigies, figure, Numi, Symbola, Literæ majusculæ typographicæ, aut in libris excusis impressæ inventiones, Oscilla, Numismata, quoquo modo cusa, effigiata aut facta fuerint, in ludibrium & probrosam translationem sacrorum Sacramentorum, sanctorum, Imaginumque quæ illos referunt, Reliquiarum, Miraculorum, Vestium, Professionis & vitæ, aut Sanctæ Sedis Apostolicæ, eiusque status, Romanique Pontificis, Cardinalium, Episcoporum, eorum ordinis, dignitatis, auctoritatis, clavium & potestatis spiritualis, aut conditionum Ecclesiasticarum, & sacrarum Religionum quæ probantur in Ecclesiâ.

Et ut obviatur eatur aliqua ex parte gravi scandalo, maioriq; damno, quod picturæ lascivæ secum afferunt, iubemus ne quis audeat in his Regni picturas, laminas, statuas vel alias sculptas imagines lascivas ponere, aut in locis publicis platearum, vicorum, aut Camerarum communium in domibus adhibere. Nec non & prohibetur Pictoribus, ne eas pingant, ceterisque artificibus, eas efforment aut sculptant sub pœnâ excommunicationis majoris Latæ sententiæ trina canonica monitione præmissâ,

Generales.

xxvii

& quingentorum ducatorum, quorum tertia pars Sumptibus S. Officij, Iudicibus & denunciatori applicabitur; sub pœna denique Relegationis ad annum, respectu Pictorum aut privatorum qui eas inferunt in hoc Regna, aut in aliquo prædictorum contravenient Relegationis.

REGVLÆ XII.

Libri jam excusi & ab auctoribus Catholicis qui nunc vivunt aut vixerunt, & Catholicæ diem supremum clausurunt, hoc Indice non prohibiti, aut illius regulis non comprehensi; etsi in illis quedam opiniones aut doctrinæ nec probæ nec tute deprehendantur; ne prohibiti propterea censentur sed qui in illas incident referre ad Inquisitores tenebuntur. Quo facto, uti poterunt libris, donec re à nobis cognitâ, constituantur, quid facto opus. Verum prohibentur omnes libri post hæc componendi aut evulgandi, quibus errores Fidei, aut iis quæ à S. R. E. docentur & approbantur, contrarij, continentur.

Prohibetur & mandatur, ne quis propriâ auctoritate eos expungat, inducat, vel deleat: neque libros, chartas, folia, in quibus illa reperiuntur igni tradat, priusquam integros libros Inquisitoribus denuciat & consignaverit; reineatque dictos libros aut chartas, prout ab illis decerneretur.

Quoad libros, qui hoc Indice, juxta ipsius Expurgatorii normam, correcti emendatique permittuntur, statuuntur, ut, nisi antehac à S. Sede aut eius delegatis & eorum mandato expurgatio, emendatioque peracta fuerit, ea, auctoritate S. Officij, aut eius ministris fiat: addita subscriptione illius aut eorum, qui iussu S. Officij id muneris susceperint: alioquin officio libros expurgandi nondum satisfecisse existimabuntur.

REGVLÆ XIII.

In genere declaratur & mandatur libros excusos initio certâ quapiam linguâ, aut editione nominatim expressâ (quales sunt quæ in isto Indice de unoquoque librorum prohibitorum aut expurgatorum nominatim designantur, una vel plures) & postea prohibitos, censendos esse prohibitos quacunque aliâ linguâ aut editione exierint quàm ante aut post translationem: nisi aliud quippiam hoc Indice vel Expurgatorio significetur, habeaturque ob eam rem peculiaris à nobis licentia in scriptis. Observandum etiam libros prohibitos memoratâ certâ quapiam editione, in reliquis quibusvis pariter esse prohibitos, dum de emendatione non constituerit.

REGVLÆ XIV.

Omnino prohibentur libri Thalmud cum eius glossis, annotationibus, Interpretationibus, & Expositionibus, Cabbalistici, alique impij & nefarij Hebraeorum libri, prout compluribus summorum Pontificum constitutionibus prohibiti sunt, & Rabbini, aut aliorum quorumvis Hebraeorum, Iudeorum, aut Maurorum qui ex professo Iudaicam legem aut sectam Mahumeticam edocent: aut quorum præcipuum argumentum nostræ S. Fidei Catholice, aut consuetudinibus & ceremoniis universalibus S. R. E. aut communibus Doctorem aut sanctorum expositionibus in literali S. Scripturæ sensu repugnat. Thargum verò seu Chaldaica paraphrasis, modo, tanquam antidotum, ejus initio apponatur quod in Indice hujus Expurgatorio, in vocabulo Thargum seu Paraphrasis Chaldaica notatum est, prohibita ne censetur. Neque etiam prohibitum reputetur Magazot Hebraeorum continens partem Officij & ceremoniarum

INDICES
Librorum
PROHIBITORUM
E. V.
24.

rum Iudaicarum, linguâ Hebraica: sed in quavis aliâ linguâ dictum Magazor prohibetur & prohibitum debet censeri.

Pariter non debent censeri prohibiti libri Rabbiorum mere historici aut Grammatici, quales sunt Masoreta & Mazora magna & parva cum Rabbiorum nonnullis notis, quas excudi curavit & publicavit Ioannes Buxtorfius, Concordantie Hebraica Rabbi Mardocai Nathan, vel alij similes Philosophici, Dialectici, aut Grammatici, quos latine reddidit Sebastianus Munsterus; Elia Levita, Rabbi Salomonis, R. David Kimbi & aliorum: liber radicum R. David: & ductor sive doctor dubitantium R. Mosi Aegyptij, aut alij ejusmodi qui de Religione aut scilâ Iudaicâ, ejusve caeremoniis non tractant.

REGVLA XV.

Et quoniam hujus S. Officii partes sunt, non modo incumbere conservanda puritati nostræ S. Fidei, errores contrarios destruendo, sed etiam auxiliando & favendo illis qui illam tutantur, exponunt, illustrant, aut scribunt contra hæreses & hæreticos, si ve commentando in S. Scripturam, si ve in argumentis controversis & Scholasticis: monemus omnes pios & doctos, cum confiterit ipsi esse necessarium, & ita ut vix carere possint, librum aliquem ex prohibitis in isto Catalogo, scripturus pro S. Ecclesia & fide Catholica; modo petatur à nobis facultas; permittendum à nobis & concedendum illius usum ac lectionem ad tempus quod videbitur expedire.

REGVLA XVI.

Quod ad modum qui observatus est & observari debet in emendatione & expurgatione librorum: Examinari debet & expurgari non solum quod est in operis corpore, sed etiam quod occurreret emendatione dignum in Scholiis, Summariis, marginibus, indicibus librorum, prologis, & epistolis dedicatoriis.

Quæ autem expurgatione aut correctione indigent, possunt reduci ad capita sequentia.

Propositiones hæreticae, erroneae, hæresim sapientes aut errorem, scandalose, piarum aurium offensivæ, temerariæ, schismaticæ, seditiosæ & blasphemæ.

Quæ contra Sacramentorum ritus, & caeremonias, contraque receptum usum, & consuetudinem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, novitatem aliquam inducunt.

Profane etiam novitates vocum ab hæreticis excogitatae, & ad fallendum introductæ.

Verba dubia & ambigua, quæ legentium animos à recto, Catholicoque sensu, ad nefarias opiniones adducere possunt.

Verba S. Scripturæ non fideliter prolata, vel à pravis hæreticorum versionibus deprompta; nisi forte afferrentur, ad eosdem hæreticos impugnandos, & propriis telis jugulandos & convincendos.

Verba Scripturæ S. quæcumque ad profanum usum impie accommodantur: tum quæ ad sensum detorquentur abhorrentem à Catholicorum Patrum, atque Doctorum unanimi sententia.

Quæ superstitiones, sortilegia ac divinationes sapiunt.

Quæcumque fato, aut fallacibus signis, aut ethnica fortuna, humani arbitrij libertatem subiciunt.

Quæ paganismum aut idololatriam redolent & sapiunt.

Quæ fama proximorum & præsertim Ecclesiasticorum, & Principum detrahunt, bonisque moribus

& Christiana disciplina sunt contraria.

Propositiones & doctrine quæ sunt contra libertatem, immunitatem, & jurisdictionem Ecclesiasticam.

Loca quæ ex Gentilium placitis, moribus, exemplis tyrannicam politiam foveant, & quam falsò vocant rationem Status, ab Evangelica & Christiana lege abhorrentem, inducunt.

Item Scripta quæ ritus Ecclesiasticos, statum, dignitatem, ordines & personas Religiosorum ladunt & contempni exponunt.

Item facetiæ & disteria in offensam & præjudicium existimationis proximorum.

Item Scripta lasciva quæ corrumpere possunt bonos mores.

Debent etiam corrigi & emendari Picturæ aut efformate ad vivum effigies eorum quibus non beatificatis aut canonizatis à Sede Apostolicâ, apponuntur radij, diademata, aliæ insigniæ, quæ tantum permittuntur in iis quos Ecclesia Sanctos declarat.

MANDATVM

AD LIBRARIOS, CIRCUTORES & BIBLIOPOLAS.

VOTQVOT Librorum sive tabernâ expostorum, sive officinâ clausorum mercaturam faciunt, Circutores, Emptores, venditoresque Librorum, aut qui qualicunque tandem ratione, iis negotiantur, intra sexagesimam, ab hujus Indicis publicatione, diem, Catalogum, aut Inventarium Librorum sibi demandatorum, inchoandum ab Auditorum nominibus & cognominibus, ordine Alphabetico, condere jubentur; eoque, Libros quos habent exprimere, aliosve se non habere jure jurando & nominis subscriptione confirmare; atque illud Inquisitoribus, si Tribunal ibi fuerit, sin minus, Commissario deputato exhibere. Singulis quoque annis intra sexagesimum, à Calendis anni diem, Inventarium renovare, tam iis quos prius habebant & venum exponunt, quam iis, quos de novo postea sibi comparant, recensere. Primusque annus fiat à Calendis anni 1640. Illi verò ratione præscripta id præstare & consignare teneantur, penâ quinquaginta ducatorum, expensis S. Officii applicandorum, aliquam ex singulis prædictis hisce conditionibus omittenti, imponendâ.

Ne quis ex suprâ dictis librum aut libros, nostro Indice aut Inquisitionis nostre Edicto, prohibitos aliosve libros hæreticos, habere, emere, aut vendere posthac audeat, primâ vice, officij suspensione, & mercaturæ ad biennium privatione, & ad duodecimum ab oppido, ubi bibliopolium habuit, miliare, relegatione ad biennium, & mille ducentorum ducatorum impendiis S. Officii applicandorum, multâ puniendus. Quod si recidat, multa duplicanda, & alia penæ tam ob primam quàm ob secundâ culpam, majores vel minores, pro rei gravitate, ex Inquisitoris arbitrio, erunt irrogandæ. Atque procedet hæc condemnatio, licet liber aut libri jam ad tertij possessoris manus pervenerint, quum innotuerit quinam eos habuerint, vel vendiderint. Neque tamen, per has sanctiones, in reliquis penis, Jure & Extravagantibus Pontificum, adversus eos qui libros prohibitos, vel habent, vel legunt, statutis quicquam innovatur.

Vt autem horum unusquisque, libros, qui prohibiti, aut permitti aut expargendi sunt, & quo se mo-

do in

do in iis emendis aut vendendis gerere teneatur, norit; Mandamus ut singuli penes se istum Indicem habeant, penâ quadraginta ducatorum distis expensis applicandorum, nisi pareant, indicem quoque eo carere deprehendantur.

Imperamus quoque, ut si tantâ peritiâ præditi non sunt, quantâ ad libros, qui eo prohibentur, permittuntur, aut expurgari iubentur, dignoscendos opus est; nisi in libris distrabendis aut cõmendis in sua officinâ, iis utantur qui rerum earum non sint imperiti; abstineant ab hac arte, & mercimonio: monemus enim eos, vel ob Indicis neglectum, vel ob librorum ignorantiam, mandatis hoc Indice præscriptis adversantes, à penâ nullâ ratione exemptum iri.

Declaramus item non sufficere, nec satisfactorios officio suo, si Catalogum dictum habeant ab alio commodatum, nisi etiam illum suum habeant, semperque in officinâ ipsi pateat; idque quia experti novimus alias deesse eos officio, neque accuratè exequi quod mandamus: qui autem aliter fecerit viginti ducatos expensis S. Officii applicandos, solvere tenebitur.

Ad hæc quia eadem experientia docuit, obliuione, ignorantia, aut obscuriore notitiâ Librorum Prohibitorum vel Expurgatorum; in Bibliothecis antiquis plures ejusmodi fuisse & etiamnum esse libros, imò multos de manu in manum transisse ad diversos possessores: Præcipimus omnibus Librariis, vel quibusvis aliis qui Indices ejusmodi Bibliothecarum, aut Catalogos conscribunt, ut pretio appposito vendantur, aut alio modo alienentur, deque illis disponatur; ut tales Catalogos Bibliothecarum exhibere ne negligant & referre illi vel illis, quibus S. Officiū illos recensendi & subscriptione muniendi curam demandabit: sub penâ prædictarum censurarum & quinquaginta ducatorum in S. Officii usus; quam multam cerò luent si semel errare comperti; duplè vero si iteratò peccent.

MANDATVM

AD EOS QVI LIBROS IN HÆC Regna important.

QVI libros important, aut in hæc Regna & Dominia invehendos curant, cuiuscunque status aut conditionis sint, eos, vel per se, vel per alios, Inventario aut Catalogo, qui adhibito iuramento & forma præscripta subsignetur, exhibito, in primo maris portu, aut dictorum Regnorum aut Dominiorum oppido, Inquisitoribus, si ibi S. Officii Tribunal existat; sin minus, Commissario delegato, manifestent: sub penâ amissionis Librorum & ducatorum ducatorum S. Officii prædictis expensis applicandorum, quoties hanc denuntiationem vel neglexerint, vel non absoluerint. Et, si ad telonium, aut alium istiusmodi mercibus constitutum locum deportentur, ne sinant eos publici Ministri inde tolli, prius quam Inquisitorum aut Commissarii testimonio aut scripto constet, jam eam quæ opus erat, adhibitam diligentiam fuisse, neque per S. Officiū stare, quominus aueantur: aut ipsi, suo nomine, illis significent, adductos esse, ut recognoscantur & examinentur.

Insper, quia nonnulli Bibliopola aliique privati, sine curiositate cognoscendi adducti, aut librorum novorum desiderio, Catalogos Nundinarum Vernalium & Autumnalium quæ Francofurti habentur, curant sibi transmitti, aliòve similes, in quibus quarumvis facultatum libri, tam hæreticorum quam Catholicorum, designantur: notum facimus nos etiam mandare Bibliopolis & quibusvis aliis ad quorum manus pervenient, antequam cum aliis communicent aut in proprios usus convertant, eos S. Officio exhibeant à quo permittentur & concedentur illi & illis quibus visum fuerit, qui sine damno, imò cum utilitate tam Reipublice quam Doctorum & Literarum, talibus Catalogis uti poterunt.

Præterea quia compertum est clanculum inveni liberos prava doctrina, quasi essent literarum fasciculi, idque inter Bibliopolas sive expetantur, si ve ab aliis qui cum iis commercium exercent ultro mittantur, contra statuta & regulas Catalogorum Prohibitorum & Expurgatorum mandamus sub penâ excommunicationis majoris lata sententiæ & quinquaginta ducatorum in sumptus extraordinarios S. Officii, ne dictos fasciculos sive chartas complicatas sive arculas quæ in Regnum invehentur de foris aperiant, quin prius à Ministris quos designaverit visa & recognita sint: nec non ut antequam aperiantur librorum fascies originalem Catalogum Factura omnium librorum ab exteris Regionibus transmissorum consignent, quamvis in portibus dicti fascies inspecti fuerint: servatis in ceteris omnibus regulis & mandatis nostrorum Indicis & Catalogorum.

Speciatim etiam monemus, si forte in exteris Regionibus excudatur iste noster Catalogus expurgatorius, aut ab exteris mittatur quovis modo impressus, in librorum omnino prohibitorum censu ponendum esse, neque cuiquam licere ullo modo illo uti: & Bibliopolam aut quemvis alium qui curabit mitti aut invehit in hæc Regna, præterquam quod graves in censuras huius nostri Catalogi incurret, centum ducatis multandum esse in sumptus S. Officii, & iactura dictorum librorum.

Ne quis, cuiuscunque status aut conditionis sit, posthac inferre vel importandos curare in Regna & Dominia sue majest. libros hoc Indice, aut Inquisitorio Edicto prohibitos, aut alios hæreticos libros, ausit: iis quidem, qui librariam artem tabernâ, aut officinâ exercent, qui circuitores, emptores, venditoresque aut Mercatores Librorum, quacunque sunt ratione, eadem denuntiatâ penâ, quæ illis imposita, superius in Mandato ad Librarios §. Ne quis ex supradictis; iis verò qui eam non exercent artem, significamus in ipsos rigidissimè actum iri, penâ ex jure, & variis S. Sedis Extravagantibus, aliisque ex arbitrio Inquisitorum, pro culpa modo, in eos qui ejusmodi libros habent vel legunt, infligendis. Neque hi nec illi ullam excusationem, quod ad libros hoc Indice vel Inquisitorum Edictis, prohibitos, obtendant: puta, quod libros ad Inquisitorem recognoscendos detulerint, seu quod Commissarius oblatos permiserit: nam, cum Librariam negotiationem exercent, quos advehunt, aut quarunt, libros, nosse & à prohibitis abstinere debent.

MANDA

INDICES
Librorum
PROHIBITORUM
E. V.
24.

MANDATVM AD TYPOGRAPHOS.

MANDAMVS ne quis Typographus alijs: vel lum damnati prima Classe Authoris librum excudat, exceptis iis, qui S. Sedis mandato expurgabuntur, aut correcti juxta Expurgatorium Indicis permittuntur. Ac, si quis horum imprimeret, titulo apponatur nota condemnationis, & constet, etsi liber aut libri admittuntur, ipsum tamen damnari Authorem. Quinimò etiam veteris prohibitionis, & novæ Expurgationis ac permissionis faciendæ mentio. Exempli gratia, Ioannis Aventini Annalium Boiorum libri VII. post illa verba Ioannis Aucutini, addatur, Authoris damnati, & post illa verba libri VII. scribatur olim editi & prohibiti, nunc vero jam repurgati & permitti.

ADMONITIO

AD FACILIOREM VSVM
huius Indicis, & ad maiorem notitiam dispositionis atque ordinis illius, nec non praxim ejus expurgationum ac mandatorum.

I.

Hic Index majoris sit emolumenti Catholicis omnibus, & ut tollantur occasiones à Damone ministris ejus oblata, libris, tractatibus, & scriptis, quibus magistris quotidie utitur insinuandis & persuadendis erroribus: advertendum est, si quando in hoc Catalogo occurrant prohibiti aut expurgati libri Virorum magna pietatis, nec non sanctitatis insignis; non id fieri quia authores à sententiâ S. E. R. iisque quo docuit semper & docet, deviaverint, quandoquidem eam veram Matrem & Magistram agnoverunt, eoque loco reveriti sunt & coluerunt: id tantum fieri quia libri illi cum ipsorum non sint, falsò iis tribuuntur, aut eo quod in iis occurrant verba nonnulla & sententia aliena, quæ Typographorum nimia incuria aut hereticorum fraude audaci falsò ipsis imposita sunt; aut quia non expediat extare linguâ vulgari; aut quia talia contineant quæ quamquam pii authores & docti simpliciter dixerint, rati sanum & catholicum sensum habere, perveritas temporum occasionem dederit inimicis fidei, illas ad Prævos sensus torquendi: quod neutiquam æquum est honori & gratie memorie illorum officere, quorum vita & doctrina semper collimavit ad sacra nostræ Religionis, sanctæque sedis Apostolicæ majorem cultum atque exaltationem. Atque eadem de causâ censura submittuntur in hoc Catalogo libri aut tractatus nonnullorum auctorum qui suo tempore peculiare foverunt opiniones à multis admissas, donec contraria determinatio Ecclesiæ accessit, veritate cum tempore clarè reiectâ variis occasionibus atque dispositionibus: cujusmodi sunt sententiæ quedam extan-

tes in autoribus gravissimis & sanctissimis, quorum memoria semper erit venerabilis in Ecclesiâ Catholica; quippe cuius bono multis exantlarunt labores & vitam profuderunt, cuiusque iudicio dicta & scripta sua in vita & in morte submiserunt.

II.

Declaratur pariter, in variis Indicibus Romanis & Hispanicis cum in certis libris & operibus Autorum Catholicorum & sanctorum, apponitur hæc admonitio cautè lege, non esse censuram, sed tantum cautelam, ad arcendas alias censuras severiores quæ fieri poterant, ne rudiores non admoniti offenderent, aut maligni Autoris sententiam torquerent fulciendis erroribus: Præterea in multis operibus sanctorum; uti supra admonuimus experientiâ compertum esse, hereticos corruptisse editiones demendo aut addendo verba mutantia sensum quem sacri doctores in scriptis suis intenderunt; Illi incommodo ut obviam eatur, opponi illis notam cautè lege, pramuniendo, uti par est, lectori.

III.

Quum S. P. Clemens VIII. decreto suo anni 1602. dato 20. Iunii, damnet ut temerariam & scandalosam opinionem quæ habet, validam, scilicet confessionem per literas & absolutionem in absentia, quam sequuti sunt multi Autores Veteres & Recentiores: præcipimus & mandamus (cum Veteres illi scripserint multis annis ante dictum decretum, quorum respectu jure valere debet privilegium antiquitatis) in omnibus illis Autoribus quæ opinionem illam tenuerunt, docuerunt aut retinuerunt ante decretum S. P. nostri Clementis VIII., margini pagine illius ubi dicta materia memorabitur, apponatur sequens cautio. Confessio sacramentalis in absentia, quam ante decretum Clementis VIII. docet vel docere videtur hic Author, aut refert ex aliis, damnata est jam ut temeraria & scandalosa à S. P. Clemente VIII. At in omnibus reliquis qui hanc opinionem docent aut referunt ex alijs, quos constat scripsisse post dictum decretum 1602. 20. Iunii, deleatur à principio ad finem.

IV.

In illorum gratiam qui hanc Expurgatoris materiam minus norunt monemus: quotiescunque occurrunt in isto Catalogo Autor sive Autores primæ Classis solo nomine indicato absque patriâ, professione, aut scriptis, intelligi debere, eadem ratione quâ in primâ Classe collocantur, prohiberi omnia ipsorum opera impressa & manuscripta, quamvis non disertè memorata; nam ut designetur permissio indicari oportet certum opus, ac proinde quidquid omittitur, prohibitum manet. Atque hæc observatio usui esse potest illis qui minus ad rem attenti conqueuntur quod omnes libri hereticorum de argumento non heretico conscripti & non continentes hæresim, nihilominus non permittuntur. Quibus hoc responsum est, multos permitti quidem, atque ceteros prohiberi; aut quia ad manus nostras

nostras non pervenerunt; aut quia de eorum utilitate non constat, & forte quamvis constaret, omnibus indiscriminatim permitti non esse æquum: siue etiam id fiat ut servetur mos Ecclesiæ quæ puniendis eorum delictis scripta etiam quæ hæresim non continent communiter legi non permittit. Ideo præcipimus & mandamus, quotiescunque aliquis eruditus & pius librum ejusmodi Auctorum exhibebit Consilio aut in quovis S. O. tribunali, ut ei tradatur, visus, examinatus censurâ notatus, apposto elogio Auctoris damnati & operis permitti, cum constiterit esse veram aut posse esse utilitatis publicæ, tum & non alia ratione debere permitti.

V.

Quod attinet observationem & expurgationem epithetorum honorificorum, quæ mutuo sibi sectarij Auctores primæ Classis, tam sollicitè atque liberaliter tribuunt; monemus & declaramus; quamvis omnia quæ speciem laudis continent sectariis denegantur & auferrentur, nullam quidem ipsis fieri injuriam, quia sunt extra Ecclesiam; qualibus nullus honor de jure debetur: sed cum ista honoris epitheta & elogia possint esse varia, in variis argumentis, & cum titulorum & vocum varietate, aliquando modum excedentia nimia adulatione, aliquando magis temperata & modesta (in quibus variè sentire, benignus aut severius licet) hoc conceditur judicio prudentis & Catholici Lectoris ut relinquat intactum vel expungat elogium quod recta æstimatione iustos limites prætergredi & indignum persona de qua fit mentio censuerit: Utque hoc ad regulam certiorum reducatur, illa epitheta verè sunt honorifica ac proinde delenda, quæ absolute & sine limitatione laudant hominem, ut bonitate, virtute, pietate, &c. prædium v. g. vir optimus, pius, bonæ memoriæ, piæ memoriæ, virtute, moribus probitate insignis: quales sæpè leguntur de sectariis. Illa quæ absolute & sine limitatione laudem tribuunt scientiæ & doctrinæ, v. g. doctissimus, sapientissimus, vel cum aliis immodestis adulationibus: Princeps Eruditorum, Divinus Scaliger, Magnus Erasmus, Germaniæ lumen Melanchthon, Decus sæculi nostri; Ocellus doctrinæ & eruditionis &c. omnino notatu digna sunt & magnis de causis impediendi debent. Alia epitheta non sunt absolute universalis, sed restricta ad peculiare sententias & materias quæ ut minus laudis continent, minus offensionis præbent, ut si Buchananus vocetur, elegans Poëta, Henricus Stephanus, Græcè doctissimus, Ticho Brahe, Mathematicus & Astronomus excellens; sunt enim singularia dona quæ Deus impertitur

etiam semotis ab Ecclesiâ, quantumvis in ejus utilitatem. Minus offensionis præbere debent alia laudes in rebus & sententiis limitatis; v. g. rectè, eleganter, prudenter dixit; quando non omnia à sectario profecta mala sunt aut barbara, & ad rem non facientia, &c. At semper vitari debent omnia quæ amorem, propensionem, æstimationemve conciliare possunt homini in argumento fidei & religionis infami. Titulos Doctoris & Magistri certum est, propriè & exactè loquendo, neminem extra Ecclesiam possidere aut mereri: quemadmodum Universitates hæreticæ ab Apostolica Sede non confirmata, usque nunguam habent gradus & titulos qui in Ecclesiâ valeant conferendi: proindeque accuratè si loquaris, non debet vocari Magister aut Doctor inter Catholicos, sed abusive tantum ut loquitur vulgus, & ut impropiè & abusive vocantur Universitates quæ non sunt Catholice. Titulum Theologi non meretur qui nescit & non sequitur veram & sacram doctrinam Catholicam, quamvis materialiter Theologus vocari possit is qui tractat argumenta S. Scripturæ & controversias religionis. Ut etiam nonnulli Grammatici Hebraisantes quia tractant textus S. Scripturæ Hebraicos, denominari amant, aut denominati sunt Divini Grammatici. Quod ad titulum Dominus vel Dn., si tribuatur ei qui possidet temporale dominium, politicus est & secularis; ut & cum ob ætatem proveciores, aut canitatem, aut ob minus aliquod auctoritatemve Magistrum & parentis esse sociari tribuitur, videtur omnino posse permitti: delendus verò est si liberalius concedatur & cui non debetur. Denique ad exonerandos Lectores, & ad vitandos scrupulos, edicitur hic, non teneri illos omnia epitheta honorifica quæ libro aliquo continentur conquirere ex professo, & censuras in eos non cadere in hoc & aliis casibus ejusmodi, donec incidenter dum libros legunt eos animadvertent: tunc verò illa delere debent aut deferre.

VI.

Monemus denique & declaramus, quamvis Liber prohibitus demò excudatur, aut prodeat excusus, cum censura & expurgatione hujus Catalogi, seorsim posita in principio aut fine Libri, ut constet de locis notatis (quemadmodum factum est in editione nova problematum Georgij Veneti, & in operibus Petri Abailardi & aliorum) non illud sufficere, neque ideo hujus Catalogi mandatis satisfactum, nisi specialiter deleantur in propriis & designatis locis quæ Catalogus jubet auferri & deleri, ut quod bonam & sanam doctrinam impugnat nullomodo supersit aut legi possit.

INDICES
Librorum
PROHIBITORUM
E. V.
74.



